



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra

Hevenesi, Gábor

Coloniæ, 1715

VD18 10988289

1. Februarii. Æger valentium conatus tutò remittat, æquitate animi, & patientiâ compensare contentus, laborans corpusculum non frangat. S. Ignat. ap. Nol.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

Concedere, quod nocere potest, nocentissimum inimicitiae genus, non beneficium est. Mater est, quae cultrura subtrahit, ne filius vulneretur; tum amat efficacius, dum negat nocitura. Nescimus, quid petamus. Si quid negandum est, ita fiat, ut benevolentia suppleat rem petitam; sic enim fiet, ut petens plus accipiat, quam rogaverit, rei que inferioris carentiam melioris obtentu non sentiat.

Ut munus datum cum malevolentia, pretium amittit; sic negatio cum suavitate repulsam non sentit. Hoc est amaras potiones benevolentiam condire.

Et repulsam, & contumaciam pati duplex vulnus est, quod simul aegre ferri potest. Ut gratiora sunt amantis vulnera, quam fastidiosi oscula; ita benevola negatio morosis praeponderat beneficiis.

I. Februarii.

Ager valentium conatus tuto remittat, aequitate animi, & patientiam compensare contentus, laborans corpusculum non frangat. S. Ignat. ap. Nol.

Ingentia sunt aegrorum desideria, ingenia designant opera, si morbus absit: falsum
limur

limur nempe: zelum putamus, & sensualitas est; enim verò non tam laborare, quàm morbi molestias effugere, cupimus.

Quid Indias designas? lectus tibi arena, & campus est uberrimæ messis. Martyria sitire necesse non est, habes ad manum carnifices morbos, habes in lecto carcerem. Si scias ubi, omnium tibi meritorum campum ægritudo pandit.

Si tuis Deus laboribus egeret, vires in pares non negaret; patientiam petit, non victimam: non corporis sudores, sed animi æquitatem expectat.

Grandia illa, quæ optas, opera plus tuæ voluntatis, Divini beneplaciti minùs habent. Quantò Dei voluntas tuis desideriis sanctior, tantò & morbus ægro præ Apostolatu utilior est.

2. Februarii.

Qui aliis utilis esse cupit, sibi multum prius vacare debet: ardeat prior domi charitate, qui amat alios inflammare. S. Ignat. ibid.

NON efficacius præcipitur pietas, quàm agendo; nulla siquidem melior legum glossa, quàm exempla. Omnes, qui ea viderint, imbuentur, nec ullo egebunt.